



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Tempore, Post Qvod Alia coniugia concedi possunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

DE TEMPORE, POST QVOD ALIA
coniugia concedi possunt.

SI diuortium factum est propter adulterium, innocenti personæ non præscribitur tempus, postquam res iudicata est. Sed in quæstione desertionis annos considerari necesse est, ut intelligatur, personam uere desertam esse, non leuitati aut perfidie præterire umbram desertionis. Lex in Codice concedit sponso post biennium alteri nubere, si ea non assentiente sponsus, qui tamen non est extra prouinciam, tam diu differt publicum ritum coniugij.

ALIA lex de sponso peregrinante loquitur, de quo concedit sponsæ post triennium alteri nubere, uidelicet, nisi ea assentiente fortius absit.

PONTIFICIAE constitutiones desertæ personæ quantumlibet innocenti nullo vnquam tempore concedunt coniugium, nisi deserticem personam constat mortuam esse. Sed supra citauimus dictum Pauli ex Corinthijs, quod liberat personam innocentem, & plerumq; desertrix persona simul adulterij rea est. Nequaquam igitur laquei iniijciendi sunt innocenti personæ propter alteram delicta. Sed intelligatur & in hoc casu liberatio non de inani uoculo, & personæ liberatæ concedatur coniugium.

IUSTITIA N V S expresse concedit coniugium desertæ personæ post decennium. Glossa in capitulo In præsentia, in Decretalibus ita inquit: Vbi post septennium uerisimiliter præsumitur de morte uiri, excusatur maritus, si nubat. Ac mitior est glossa, quam textus. Sed cum index inquit uit negotium, & comperit, querelam de desertione non esse inuocatum, & uidet mores personæ innocents honestos esse, potest imitari legem Constantini de quadriennio, uel dictum de quinquennio in Digestis, in titulo de Diuortio. Hæc moderato non uideretur absurda: nec tamen præscribo certum tempus, sed sapiens index simul considerabit, quid deceat exempli causa, & ne laqueos conscientie innocents personæ iniiciat.

DE NATURA SPADONVM.

VERECYNDE sic nominantur illi, qui prorsus non sunt liberi ad commixtionem coniugalem: Et nominantur Spadones, si natura tales sint, siue arte castrati sint. De his sciendum est, tales personas nequaquam fieri coniuges, sed cum est explorata biginitas, index pronuntiet illas personas liberas esse. Nec fit tunc diuortium, quia non erat coniugium, iuxta dictum Matth. 10. Sed si declaratio ut alij sciant, illam societatem non esse coniugium, & per-